

missò dictò modò clystere unò alteròve emplastrum, quod
℞. emplastr. d. bacc. laur. *unc. un.* & s. agripp. *unc. s.* ventri
imponendum, ante cuius impositionem venter quoque,
mollificantibus oleis v. g. se samino, d. sem lin. aliisque
illini potest. (b) Singula si frustra adhibeantur, *Hartmannus*
(c) à *Coo* edoctus, folle aut syringâ inflat intestina, ut ab iis
separentur feces, statimq; clysterem injicit fortem, cui *salis*
gemm. drachma. s. vel integra admixta est. *Alii* argentum
vivum cum oleo amygdalino dulci vel communi sacchara-
tò feliciter usurpant, veluti videre est apud *Paræum*. (d)

(a) l. 21. obs. 5. (b) Confer *Forestum* cit. loc. obs. 9. (c) in
prax. Chim. p. 188. (d) *libr. 16: cap. 28.*

X X X I.

III. A calculo si producta fuerit colica, aliisve corpori-
bus duris, cardo totius curationis, si quæ tentanda, in lu-
bricando & expultricem irritando vertitur. Calculum
enim colo adhaerentem mortis & interitus autorem fuisse
experientiâ jam confirmatum est: de aliis idem si tibi pro-
miseris, vix errabis.

X X X I I.

IV. *Humoralis* & quidem i *Pituitosa* si fuerit colica,
curatio auspicianda venit à *clysmate emolliente & leni-*
ente, ut pars dolens reddatur laxior, ipsaq; adeo materia
peccans tum in tunicis hærens facilius ad intestinorum
vacuum evocetur, tum in cavitate infixâ ad exclusionem
efficiatur paratior, cujus virtutes adaugebunt extra, *sed*
tempestivè, adhibita *fomenta*, non solum ex iis parata, quæ
calescunt; sed istis, quæ simul digerunt, cum, si secus,
humores isti crassi liquarentur & in flatus verterentur. [4]
A fomentis verò, iis uti si inceperimus, non desistendum,
sed utendum multis, donec, quod movere cepimus, reso-
lutum